



7,2^a

4,12

2.9.0.

12

PANE^GYRICVS
AVGVSTISSIMO INVICTISSIMO QVE
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO
CAROLO XII,

SVECORVM, GOTHORVM ET VANDA-
LORVM REGI, MAGNO PRINCIPI FINNONIÆ,
DVCI SCANIAE, ESTHONIÆ, LIVONIÆ, CARELÆ, BREMÆ, VER-
DÆ, STETINI, POMERANORVM, CASSVBIÆ ET VENEDORVM, PRIN-
CIPI RVGÆ, DOMINO INGRÆ ET WISMARIÆ, NEC NON COMI-
TI PALATINO AD RHENVM, BAVARIÆ, JVLIÆ, CLIVIÆ
AC MONTIVM DVCI, ETC.

CVM

D. XX NOVEMBRIS, ANNO MDCC
SVIS AVSPICIIS ET DVCTV

VICTORIAM DIVINAM
VEREQVE MIRANDAM
A MOSCIS AD NARVAM
REPORTASSET,

INTER SOLENNIA EVCHARISTICA
ET PVBLICA VOTA
D. XVI FEBR. ANNO MDCCI
IN

GIMNASIO STADENSI
DICTVS

A

MAJESTATI AC VIRTUTI EJVS DEVOTISSIMO
M. TOBIA ECKHARDO.

STADE, imprimebat CASPAR HOLWEIN.

5°

Summe lucis Maga Augsburgo 1777.
Theod. Dassonv. B. Theolog. ags. Philolog.
en Acad. Kion. celebrissimo. Librario inv.
ob invanter solens cum officiis ipsius 26

NEGERICAS
AGENIA MD INCITUM QVONAM
TRIPLI AC DOMINO

DOMINO
CAROL. XII.

SACREDRVM GOTHORVM ET LAMINAE
DORVM REGI MACEDONICIS HINONIE
DYGECANAE RESTORATIONE ARRIBA ETRURIA
CILICIAE DORONIENSIS CASERETE ALMOSKALIA
THERATIAE DORONIENSIS ALEXANDRIENSIS
AE MONTEI DORONIENSIS

QVI

D XX NOVEMBRIIS ANNO MDCC
SUS XCVIIIS ET VIX

AICTORIA DIVINAM
SERVARE MUNICIPIA
AMOZONIA ET NIVIA

INTER SOLINIA EUCHARISTICA
REPARATIO VOTO
D XX LXXV ANNO MDCC

CELESTIA ET DEDENIA
PICTA

M. TOBI ECHRIHED

CATAE, impudicae CAVAR HOMINUM



Uod votis omnibus ac suppliciis exoptavimus assidue; quod cuncti pie devoteque rogavimus Numen, id Xli Cal. Decembris ita est expletum, ut votis omnium non solum respondeat abunde, verum longe etiam spes nostras superet atque excedat. Etenim vrbs Ingrizie clarissima munitaque Narva liberata est obsidione, quam per hebdomadas decem pertulit, durissima; hostis immanitate barbarus, numero copiosissimus, loco pulsus, cæsus, fugatus, exarmatus, captus, ejectus, spoliatus, & quod caput est rei, REX salvus est. O felicem, o auspiciatissimam diem, quæ nobis attulit victoriam, triumphum, gaudium, lætitiam; hostibus reliquit cladem, dedecus, dolorem, planctus! diem perpetuam dignam memoria, haudque perituriis annalibus ac æternis monumentis! Hoc vnum deerat ad finem decurrenti seculo, ut post tam multas & insignes imperiorum conversiones atque mutationes, & præclara in primis felicissima que Suecorum arma, illustri finiretur eventu, & admirabili obsignaretur victoria, quo seculum novum haberet, quod parentes liberis, liberi posteris narrarent, & seculis venturis proponerent admirandum. Russi debebant ingenti suo damno ac squalore seculi finem reddere memorabilem, qui

ipfi

A 2

ipsi cladibus suis initium illustrarant ejusdem. Haud
enumerabō clades, quas Demerii, regium mentiti
sanguinem, & multas, & funestas per Russiam dede-
runt intestinas. Illa singularis est, & comparanda
novissimæ, quam anno decimo a Suedorum accepe-
runt gente, ingratit vitium animi perfidiamque male
luentes. Cum enim post egregia contrafalsos De-
metrios præstita a Suedis auxilia nihil servarent ejus
quod pactione facta promiserant, immo malis arti-
bus ac dolis perfide nocerent, fortissimus ille dux &
fulmen, Jacobus de la Gardie manu non magna, & ho-
stibus contempta, utrem amplissimam, populosisissi-
mam fortissimamque, Neogardiam Magnam est ad-
dortus, auspiciisque CAROLI IX, Regis Gloriosissi-
mi, ope divina expugnavit, irritumque fecit super-
bum, quod sermone tritum erat proverbium: *quis con-
tra D̄em & magnam Novogardiam potest. Non edocet suntista
clade Sueonumque virtute Russi, vt perfidi esse de-
sinerent, & vicinos hos suos non lacescerent; sed tum
alias, tum novissime externi foederis leges, sanctissime
firmatas juratasque, nulla provocati injuria, viola-
runt, in Ingriam Estoniamque, sine solenni facialis
formula, irruptionem immenso agmine fecerunt,
igne ferroque barbara crudelitate omnia vastarunt,
& munimentum limitaneum Narvam obsidione cinc-
xerunt arctissima. Dignum vero consiliis factisque
habuerunt exitum, quo nos immortaliter gaudemus
ac lamentur, hostes dolent, gemunt & plorant. Divi-
num hoc munus, coelestis hoc gratiae beneficium est!
Regis hic pietatis divinæque constantiæ ac fortitudi-
nis fructus insignis, invicti exercitus hoc opus est ad-
mirabile! Orbis, qua latissime pater, vere divinam
hanc victoriam miratur & stupet. Ipse Rex Maxi-
mus*

mus , quæ Ejus est pietas , indulgentissimi Numinis agnoscit opem & beneficium , & nequaquam suis viribus opibusque tribuit ac vindicat . Quam letitiam coniunem ut intelligent & sentiant vniuersi , quos sibi subjectos habet , tantique boni auctorem , Deum immortalem , celebrent , & debitas ei laudes persolvant , quamque fieri potest devotissime , gratias reddant , pro pietate sua diem voluit esse solemnum ac festum . Quo magis enim Numinis eluxit bonitas , quæ primum , medium ultimumque præstitit , & quod maximum est , Regem servavit salvum atque incolu- mem , eo magis est agnoscenda & prædicanda devote . Id nisi fiat , contenini videntur & sperni beneficia tam benigna & egregia , & frustra exspectantur deinceps , quæ propria tamen & perpetua nobis vt sint , optare & precari debemus . Non dum plane dispulsa sunt nubes , sed vndique adhuc se colligunt ac coeunt , & gravem minantur tempe- statem . Quæ vt in hostes vertat , Numen in par- tibus retineamus oportet , agendoque gratias , & pie precando benevolum nobis & propitium reddamus . Fecerunt adhuc domus , fecerunt templa , quod suum est , & solenni ritu pia festaque gau- dia peregerunt . Nec vero Musæ in publica omnium solennitate , inter applausus & lætas congratulatio- nes , inter occupatissima gaudientium studia , inter vota & supplices preces , tacere debent , & nulla devotionis gaudiique edere signa , sed vocem po- tius suam sociare gratulantibus & pia nuncupanci- bus vota . Sunt Musæ fidelissimæ Martis famulæ , sibique velut proprium munus vindicant .

B
præ-

præclare ejus gesta, quæ in tenebris alioqui jacerent,
illustrare ac commendare æternitati, Nostræ quidem
suam probe intelligunt, infirmitatem & dicendi in-
fantiam , nec tantum sibi tribuant ut rei omnium
maximæ lucem a se accendi posse aut debere arbit-
rentur ; pietatis tamen debent officium vel pro-
pterea , si non alio se vinculo obstrictas sentirent,
quod fructum percepit Rex Clementissimus , CA-
ROLVS XII, quem ex Ejus Josia comparanda pie-
tate, ante annum, ex isthoc loco sunt ominatae. Hoc
agnoscendum, hoc celebrandum est munus divinitatis.
Faciam igitur, quod postulat religio ; iubet pie-
tas, imperat obsequium , requirit solennitas, & de
Divinitate atque Excellentia victoriae quædam, quis
enim omnia potest exponam. Divinæ res divinam
requirunt eloquentiam & facultatem dicendi sum-
mam, si digne debeant, non dicam commendari, sed
oratione nuda solum & simplici enarrari. Victori-
am celebrare, nobilissimam ejus fuerit, qui in republi-
ca versatus bellisque interfuit , ac consilia, actiones
eventusque recte scit æstimare , & cum insigni re-
rum civilium peritia parem conjunxit orationis vim
& copiam, quæ rerum magnitudinem atque varia-
tem æquare queat, qualem nisi in aliquo Cicerone,
aut Demosthene haud quis reperiat. Mihi, inter
literas umbraticas degenti, cum omnia desint ista,
facile pervideo, quam longe infra dignitatem ac
magnificentiam argumenti divini mea sit futura ora-
tio. Verum res divinæ non omnem adsperrnantur
sermonem humanum, vtut suæ non respondentem
majestati, modo ex pio devotoque pectore fluat. Ne-
que sublimibus rebus, si tenuis sit oratio, quicquam
derogatur splendoris, quem non ex oratoris , vtut di-
ser-

certissimi mutuantur ingenio, sed per se habent illu-
strissimum, ipsique addunt orationi. Sola pie-
tate ac devotione, non amplitudine verborum
& ornatu, velim aestimari meum, quem sum habitu-
rus, sermonem, & quicquid ei defuerit vel nitoris, vel
sapientiae a vestro, AVDITORES, splendidissimi, or-
natisimi, divino ingenio, summaque sapientia bene-
vole sublevari. Vester obtutus & in Regem amor ac
reverentia singularis gaudiique publici magnitudo
faciunt, ut de audiendi benevolentia vestrâ, quam o-
mnibus cæteroquin modis exorarem, optime spe-
rem & prolixissima quæque nondubius mihi promit-
tam. Quod si unquam illustri aliquo exemplo co-
gnitum ac declaratum est, quid ad victoriâ causâ
bonitas, quid innixa Deo fiducia valeat, quid præ-
sentissimum Numinis auxilium, quid militum divi-
nitus animata virtus efficiat, profecto novissimum,
quo Moscus in Livonia debellatus ac victus est, ita-
lla patefecit ac illustravit, ut si cæteris omnibus non an-
teferri, certe nulli illorum debeat postponi. Tam
sunt manifesta ejus rei argumenta, sive antecessio-
nes, sive progressum, sive eventum ac consequentia
pugnæ spectemus, ut clariora nec desiderari, nec esse
posse videantur. Veniebat in deliberationem, qua
succurrendum esset ratione vrbi obfessæ, vtrum adori-
endus hostis, an vrbs sibi & hostis tantisper relin-
quenda furori & arbitrio. Rationes, a peritisimis
longoq[ue] rerum vnu exercitatis belli ducibus in me-
dium collatae, eo fere pertinebant, vt docerent atque
ostenderent, quam periculosæ res aleæ foret, hostem
adoriri. Nam esse numero multis modis superio-
rem, omnique apparatu & instrumento bellico, ar-
mis, machinis instructissimum; duces præesse fortes

ac prudentes belli gerendi ; aditus esse difficiles magnisque firmatos praesidiis ; castra fossis , vallo , fudi- bus & propugnaculis munita ; loca editiora teneri , operibus ac munitionibus circumsepta : Regias contra copias , numero multum inferiores , nondum omnes esse contractas , & ab infelici eventu non optabilem pendere fortunam . Hæc , & alia ejusmodi , vel audacissimum quemque , vita & salutis suæ suorumque prodigum , nedum Regem juvenem , res bellicas auspicantem , & suos amantem tenerrime , commovere poterant , vt in vetera aorū reique militaris scientiæ præstantissimorum ducum pedibus iret sententiam . Ast omnibus Rex posthabitatis rationibus magno decernit animo suas intra munitiones hostem aggredi . Non temere , casu & fortuito factum hoc existimari debet ; divinus motus , divinus instinctus fuit . **A**eternum illud ac præpotens Numen hoc Regi suggestis consilium , hanc adspiravit animi magnitudinem , vt promoveret , quem justissimus de causis ante decreverat eventum . Summus namque rerum moderator , ac justissimus fandi nefandique arbiter , cuius nutu Reges regnant , in terris ei potestate proximi , horum le ingerit consiliis , eaque singulari quodam afflato subinde temperat ac dirigit , vt exitum sortiantur a se destinatum , vel in pœnam , qui sunt promeriti , vel in honorum refectionem . Et voces Regis , quibus heroicum animi propositum aperuit , quarumque suavissimus per orbem exiit sonus , altiorem humana spirant originem , & divinum loquuntur afflatum . **D**eus , inquit , cui ex anima confido , erit mihi auxilio ; iustam habeo causam ; is per paucos aequa , ac per multos , auxiliari potest : sanguinem meum pro salute mibi subiectorum lubens profundam ; meum modo sequimini exemplum . Pauca sunt verba , sed æternita-

te dignissima. Tam sunt plena pietatis erga Deum,
amoris erga subjectos, ac divinæ eloquentiæ, vt cum
omnibus, quæ vñquam dicta sunt a divinis Heroibus,
comparanda sint, & in exemplum proponenda me-
rito. A Numine auxilium exspectat, a quo solo venit
victoria, ejusque tam certam habet fiduciam, quam
justam armorum causam. Hæc recta demum ratio,
hæc vera bellorum gloria est, si pia justaque nitantur
causa. Sine quasi fuerit, vt non tam bellum, quam
latrocinium est, ita successus & Numinis auxilium
frustra sperantur. Nec vero major belli innocentia
pietasq; potest esse, quam vbi vim repellas, illatam ab
eo, qui nulla laces situs inuria, nulla relæsus, sed am-
plissima quoque legatione officii causa salutatus, & vi-
cissim exceptus est, qui sanctam foederis & amicitiæ
nuper promiserat fidem & observantiam, & cum bel-
lum jam movisset, per arbitros amice est compellatus
ac monitus, ut causam armorum, quam habere se pu-
taret, jure disceptaret atque componeret. Nam lex est
antiqua, ad quam non docti, sed nati, non instituti, sed
imbuti sumus, obsistere inuria, & vim injustam vi ar-
cere. Quam hominum naturæ dum insevit Deus, ab
eo favorem & auxilium merito exspectat, cui istius ob-
servandæ incumbit necessitas. Nec circumscripta est
Numinis potentia, vt nisi per copiosas firmasq; legio-
nes auxiliari nequeat, verum infinita atq; immensa, &
quæ divina Regis vox est, per paucos æque ac per mul-
tos opitulari valet. Verba hic audias pii alicujus excel-
siq; animi juvenis regii Jonathanis, religiosi Regis Aliae,
divinitus roborati invictiq; Judæ Maccabæi, quæ cum
non minori, quam ab ipsis, pronunciata sint pieta-
te ac fiducia, non minus digna sunt, quæ victoriam
memorabilem consequantur. Quo minus nam-

C

que

que copiarum, & plus est in D^eum fiducia, eo prom-
ptior est eius ad juvandum benignitas, & illustrior fit
potentia. Non autem otiose spectantibus victoriam
Numen concedit, quod sancte gentis Regibus non-
nullis, singulari prorsus beneficio, contigit; sed pu-
gnandum ac decertandum est. Rex optimus maxi-
mus paratus est pugnare, vitamque suam pro salute
parentium exponere discrimini ac periculo praesentis-
simi. O insignem, o admirabilem Regis erga subjectos
amorem! Pro civium salute se devovet, sanguinem
spiritumque profundere non dubitat, pro quo omni-
um dexteras pugnare, & universos mori fas est. O
vere bonum, qualem ipsa vult veritas, Pastorem,
quod Regis nomen est antiquis! Quis ducum militum
ve tantum non vellet sequi exemplum, quod ci-
tra hoc sacramentum exigit ac pietas? Quis pro ejus
salute non vellet pugnare fortiter, a cuius spiritu o-
mnium pendet salus? Haud opus est, Rex Auguste,
exhortatione: parati sunt fortissimi viri, altiore spiritu
mentem movente & artus; parata sunt devotissime
Tibi cohortes bona, sanguinem vitamque posthabere
Tu^x saluti, Tuorumque, quos salvos esse cupis, ci-
vium. Nec in ore tantum nata, sed ex pio Regis pe-
ctore ista deprompta oratio; non arte quadam impe-
ratoria in speciem prolata, ad ducum militumque
fallendum & acuendum animos, sed ejus suggestu spi-
ritus, cuius motu coram exercitu in genua prolapsus
pias allegavit supplications. Aestimabit per se qui-
libet, que suspiria devota, quas preces ardentes, quas
humilimas obtestationes de ccelo tactum pectus misce-
rit ad Deum, ut regium tueatur corpus, salvum pra-
est exercitum, liberet cives, victoriam concedat, Di-
gnum ccelo spectaculum! Rex Augustissimus, tot
^{SUP}
terra-

terrarum & populorum Dominus ac moderator, tam
eminentis fortunæ Princeps, in terram sub dio pro-
cumbit in genua, in cœlum oculos levat, orat humili-
me. Quotus quisque privatorum animo tam de-
missio Numinis agnoscit ac veneratur majestatem?
Quis in Regno non miretur tantæ devotionis atque hu-
militatis exemplum? Non id potuit non exercitus
spectantis ciere lacrymas, & venerationem simul a-
moremque excitare, potentissimas affectiones &
cumprimitis idoneas, quæ possint animos inflammare
ad subenndum animose proelium, & acerrime pro Do-
mino tam charo sanctissimoque pugnandum: non po-
tuit non in sanctis mentibus excitare gaudium, & De-
um vel maximie iratum flectere, & ad clementiam
commovere. Credo, spiritus illos famulantes certatim
se obtulisse Numini ad profligandos & debellandos
hostes, ad tuendum Regem, ad mucrones arcendos, &
avertenda plumbi ferrique misilia, ne tangerent san-
ctissimæ animæ domicilium, ne penetrarent ac læde-
rent. Haud invideamus amplius antiquitati suos Gra-
tianos, Theodosios, Heraclios, quos pietas felices fecit
celebresq; victores, & nostram ætatem, tanquam steri-
lem virtutum & pietatis, accusemus, cum suppetat
CAROLVS XII., qui vel solus honorem ejus tueri,
ac posteritatis ingenia defatigare queat. Regis ex-
emplum miles Sueco-Gothicus sequitur, vitiorum i-
gnorantia, vti olim Scythæ majores, vel saltem co-
gnati, sic adhucdum probus, & piis sanctionibus ad
pietatem adsuefactus, & nunc præsertim confitendo
delicta, supplicando, nitendo genibus ad Weseburgum
devote transigit diem. His modis vere para-
tur victoria, cum precibus ante profligatur & fundi-
tur hostis, quam ferrum stringitur ac vibratur;

C 2 exerci-

exercitus rite expiatus , de vita morteque securus,
in aciem descendit , & fiduciae plenus cum hoste con-
greditur . Quemadmodum gens Suecica non ad osten-
tationem religioni est dedita, sed cultu simpli ac serio
Numen veneratur ; ita Reges in bello etiam pietatis vs-
quequaque fuerunt observantisimi , & ut Numen in
auspiciis haberent , precibus & cultui divino religio-
se vacarunt , Deutique sibi reddiderunt amicum . Nil
prius pietate habuit **GVSTAVVS ADOLPHVS** ,
invictissimus ille purioris religionis assertor & vin-
dex , qui , cum in Pomerania fines attigit Germaniæ ,
navi egressus flexo genu solennes Deo preces allega-
vit , felicesque rerum exoravit successus . Exem-
plum ejus securius sunt **CAROLVS GVSTAVVS** ,
& devotissimus **CAROLVS XI** , de quibus omnibus
quicquid gloriosi quis dixerit , minus gloria , huma-
num supergressa modum , existet . Ab his , & **VL-**
RICA ELEONORA , Regina ad memoriam po-
steritatis æternam maxime pia , hæreditate quasi , vel
potius exemplo & præceptis est transmissa devotion
in **CAROLVM XII** , cuius memorabile atque
immortale in posterum extabit documentum . Ne-
que recens hæc laus est nostrorum Sueonum , sed jam
majoribus eorum Gothis , cum in barbaris adhuc
censerentur , quanquam haud agentes barbare , ab ip-
sis tributa est hostibus , quod pietas eorum ac religio
a Numine impetraverit victoriam . Alarius Go-
thorum Rex , Italiam erat ingressus , a Stilicone perfido
e Thracia evocatus , & cum ipse pro suo candore de-
texisset Imperatori perfidiam praefecti , pactione cum
Honorio inita discessit , abiturus in Galliam , vt ibi
sedem fortunarum regnumque firmaret . Sed in via
dum sacra faciunt Gothi , festumque celebrant Chri-
sto

sto resuscitato diem , & secure agunt inermes ,
nihilque mali metuentes , perfide eos Romani ,
ductu Saulis , hominis pagani , invadunt , nullaque ha-
bita pia solennitatis religione obvios vulnerant , cæ-
dunt & ad præclitum cident . Gothi ducentes impium
tam festum & sacrum profanare diem , sanguinem
que humanum fundere , primum recedunt , ut furori
locum relinquenter , nec arma statim capiunt , donec
patientia in iram conversa Deum obtestati , invitos se
cogi ad arma , vindictamque perfidiae expertentes
concurrunt , & infugiam vertunt infestos sibi Roma-
nos , profligant & vincunt , nec multo post ipsi Vrbi æ-
ternæ , gentium dominæ , imponunt tropæa . Præ-
tereo victoriam , quam modo simili Theodoricus in
Gallia reportavit ab iisdem Romanis , cum violato fo-
dere sub duce profano Litorio , Hunnorum auxili-
is eum lacefferent ac oppugnarent . Præmium hoc
fuit pietatis , Ariana quidem labi infectæ , sed inno-
centis , & de pectore non fucato profectæ . Et no-
stri Sueones suæ sentiunt mox fructum pietatis . A-
mnis erat & angustiæ viarum , quarum is situs ac natu-
ra , vt difficilis esset transitus , & vel pauci in-
gens arcere potuissent agmen , nedum magnum
validumque , quo custodiebantur , hostium præ-
sidium . Accedunt nostri equites præmissi ; sed
qui citra fluvium erant pabulatum egressi
hostes , ne aspectum quidem eorum sustinent ,
reliquoque pabulo mox diffugiunt , tanta festi-
natione , vt pontem , qui jungebat amnem , relin-
quant intactum , & labore nostros sublevent ,
ne mora injiceretur , ac fatalis illa præter-
iret dies . Quæ in ultero consistebant ripa ,
sex Moscorum millia , non audent sui periculum

D

facere

facere, transitumque inhibere, & solo clamore barbaro inconditoque se adfuisse testantur, abjectisque vasis & impedimentis fugam nocte maturant, haud secus ac si gladius inhæreret tergis, cum præter malam causam & conscientiam insequeretur nemo. Aditus erant adhuc alii, sed sine custodia præsidioque reliqui desertique patent, facilemque nostris transitum præbent. Numinis hæc vis ac potentia fuit, quæ hostium perturbavit consilia, eosque perterritum & in fugam dedit, ut metu suos ac trepidatione implerent, cladisque afferrent imminentis nuncium. Illustriora mox se dabunt argumenta præsentis auxiliantis que Numinis, cuius opem ante implorarant, & inter proeliandum, adhuc implorant, dum tessera, quam Rex optimus dederat, DEI AVXILIO, sese erigunt & confirmant; hostibus autem ingerunt, quem secum in partibus pugnantem haberent. Erant in conspectu castra, & hostes evocantur ad pugnam. Ast progreedi non audet innumerabile agmen, metu id continent, ut nisi intra munimenta sua par aggressioni se non crederet. Diversa mihi videor in utrisque deprehendere cogitata, quæ ad unum tam collineant eventum. In hostibus quidem, quod Timotheus, Syrorum præfetus, de Juda Maccabæo dixit: si Sueones eo sunt animo, ut adoriri nos audeant, non sustinebimus impetum, erimusque inferiores. In nostris autem, quod ille strenuus ac divino plenus robore adolescens Jonathan, Saulis filius, de Philistæis enunciavit: si egressi Moysi aciem instruxerint, nos hic consistemus, & accessum eorum præstolabimur; si munimentis se suis continuerint, aggrediemur eos, & signum hoc erit, Deum nobis victoriæ destinasse. Nec omne, ut utrobique, res caruit

caruit. Nam cœlum ipsum præfert auspicia, dum
nebulis repente obductum tenebras offundit, & oculorum prospectum adimit hostibus, vt contra se ad-
ventantes ne cernerent, tristitia mox obruendi tene-
bris, & æternam magna pars subituri noctem. In
partes venti veniunt, Moscis aduersi, & quia pulve-
rem non possunt, copiosas nives in ora torquent, do-
nec nostri accederent, & ferme insisterent operibus.
Mox coeli iterum serenitas, bona favens causa, egre-
giaque nostri collustratura exercitus facinora, & vel
diem prolongatura, nisi tam celeriter viciisset. Ce-
lebrant annales, nec immerito, victoriam Theo-
dosii, qua vicit Eugenium perduellem, quod cœlum
in ejus partibus militarit, & ad classica ejus, dicto
velut sacramento, convenerint venti. Laudant vi-
ctoriam Septimii Severi, quam contra Pescennii Nigri
copiae, multitudine & natura loci multum superio-
res, impetravit, quod cœlo sereno & nulla vi ven-
torum perturbato nubes, & tonitrua, & fulgores
cum imbre maximo extiterint, irruerint in hostes, &
conturbarint maxime. Novo nunc augendi sunt
exemplo, quandoquidem omnia fere ista, quæ mi-
rabilis victorias fecerunt, certe non minora, nebulae,
venti, nives, in partibus divini Regis CAROLI XII
pugnarunt, & ante perturbarunt hostes, quam acies
accederet. Tam lætum auspicium vti hostes perter-
ruit, ita animum nostris addidit, & ad capessendam
fortiter pugnam confirmavit. Ab ultima ætate Go-
thorum celebrata est fortitudo, & res ab iis gestæ præ-
claræ fidem fere superant, majores futuræ, si dome-
sticos habuissent scriptores, & ab hostibus non fu-
sent proditæ & consignatae. Totus orbis illorum o-
stentat tropæa, Asia & in Europa Thracia, Illyri-

cum, Pannonia, Dacia, Gallia, Hispania, & ipsa regio-
num princeps ac gentium viatrix Italia. Alexander,
Asiae dominator, Gothos, sive quod antiquum illorum
nomen est, Getas, neque lacefendos bello, neque
tentandos dixit: Pyrrhus bellicosus exhorruit: Juli-
us Cæsar fortissimus pertimuit & consulo declina-
vit: alii magis auro, quam ferro a finibus removerunt.
Ne chodie soboles eorum a pristina recessit virtute; ve-
rum ita se Martiam probavit novissime, ut non solum
veterem majorum renovarit memoriam, sed novam
quoque posteritati reliquerit admirandam. Multi-
tudo hostium erat immanis, ut vel decem vni possent
opponi; munitiones castrorum insignes; machinæ
copiosæ; miles integer ac refectus, & nihil omnino
deerat, quicquid insuperabiles posset humanas præ-
stare vires. Ast prævaluit Suecica virtus, & incompara-
bilis fortitudo; prævaluat manus exigua, tanto cau-
sa & animis potior, quanto hostis numero & belli ap-
paratu instructior. Ex itinere, quod longum & dif-
ficile fuerat, pugnandum erat fessis ac defatigatis, algi-
& inedia, quam terrarum ab hostibus facta vastitas
attulerat, valde attritis; sed incredibilis ardor pugnan-
di ita eos animat atque corroborat, ut duces pariter ac
milites, totis animis flagrantes, impetu maximo ho-
stem invadant, improbo labore ante se nitantur, fos-
tas, opera molesque superent, feriant, cedant, pro-
sternant, profligent, instent, ordines perfringant,
obterant, & vietricia mox longe lateque circumfe-
rant signa. Citata est oratio, quæ vix tamen cursum
armorum victoriæque assequitur. Haud potuisse fieri
quis arbitretur, ut tam celeriter fosetas, sudes, vallum-
que superarint, nisi alis quibusdam pedites sublevati,
aut pegasus vesti equites, non transgressi, sed sui im-

memo-

memores transvolant; aut exercitus missi divinitus
& aspectu non sensibiles intervenerint, ac submove-
rint hostes. Vix manus invicta hostem erat aggressa, a-
nimique virtutem & dexterarum robur probaverat, &
jam stabat intra hostium castra, jam urgebat & preme-
bat, jam terga cædebat, funeribusque campum opple-
bat; nec finem fecisset edendi strages, nisi nox diem, &
hostem oculis subtraxisset, clementiae locum factura.
Vestrum hoc egregium factum, viri fortis, heroes strenui,
vestrum factum tantum est, quantum haud facile
aliud in antiquitate reperitur, quod cuncti per orbem
admirantur, & nulla unquam literarum monumenta
filebunt, nulla ætas conticecerit. Vos Regis fidem, Patriæ
vitam mortemque, vniuersis fortitudinem approbastis.
Digni vos estis tanti Regis ductu & stipendiis, & vestra
virtute ac fide Rex, fortissimus imperator. Romani sepe
vulgabant, Deos interfuisse procellis, visosque candidis
in equis Castorem atque Pollucem. Vere Deus interest
pugnis, 'etsi nullam sui conspiciendam præbeat imaginem,
quod aliquando fecisse legimus. Ille mentes animosque inflamarat,
& alacritatem invictam aspirat, artus ac dexteras roborat, iactus dirigit & firmat, adversos
vero retundit, declinat & irriros esse jubet. Illustrissi-
mum fatalis illa pugna suppeditat documentum, cum
tanta vi animorum pugnarunt nostri, ut humanis visi-
sint viribus majores; tamque patuci occubuerunt, ut
quis credat, non Marte ancipiti & dubio fuisse dimicatum,
sed solas violati foederis atque immanitatis poe-
nas expetitas. Neque illud hic silendum est providen-
tiae divinæ admirandum exemplum, quando Rex,
impressionem in castra hostium faciens, ex equo præci-
pitatus est in yliginem, & sine villa læsione corporis libe-
ratus statim concendit equum, reliquoque interfuit

prælio. Et quod non minus est memorabile, quando
postridie pugnæ glans plumbea fuit reperta in Regis
collari, vbi collo adjacet, quæ tamen augusto Regis
corpori haud nocuerat quicquam. Deusest, Deus
est, qui Regem texit & liberavit, qui avertit iustum,
qui vim repressit atque extinxit. Solet Numen, quos
vicarias habet in terris potestates atque legatos, Reges
& Principes, peculiari tueri provisione, ac pervigili
impedire oculo, ne quam vim patiantur & lèdantur
temere vel occubant. Hinc non sine causa CAROLVS V, maximus Imperator, cum Algeriam in
Africa obsidens a duce moneretur suo, ut periculis vi-
tae capitisque se subtraheret, & recederet longius ab
vrbe, nunquam Cæsarem globo e machina missa ful-
minea interemptum fuisse respondit. Nec tamen,
quia homines sunt, extra omnes sunt belli casus &
dubia, & vulneratos, captos atque interemptos in
prælio Reges novimus. Eo certius atque evidenti-
us habemus documentum, ad peculiarem prorsus ac
singularissimum Dei favorem, providentiam, provi-
sionem & tutelam Augustissimum Regem, per suas
nostrasque preces, pertinuisse, quo præsentia magis
fuerunt pericula, & manifestissime declinata. Sed,
quæ restant, persequamus divinitatis argumenta. V-
na salutis spes devictis in fuga erat deposita, quam
dum capiunt, & ingens multitudo fugientium onerat
pontem, quo flumen Narvam conjunxerant, victo-
resque instant & urgent, rumpitur ille & collabitur,
vt plurimi fluctibus abripiantur & pereant, cæteri vi-
ctoribus relinquuntur vel trucidandi, vel donandi ve-
nia. Cognoscite, AUDITORES, divinum judi-
cium. Pontem priorem, quem a tergo rescisum cu-
piebant ac solutum, vt transitu nostros prohiberent,
vel

vel saltē morarentur iter, metu correpti relinquunt
integrum, facilemque faciunt aditum, & suam acce-
lerant cladem. Jam salvū desiderant pontem, quo
fuga salutem inveniant; ast nimia mole gravatus cor-
ruit ac dissolvitur, fluēbusque dat hauriendos fugi-
entes, & spem omnem salutis præscindit reliquis, nisi
quam clementiæ deberent victoris. Et vindictam i-
gitur fluvius ab hostibus sumvit, & locum fecit cle-
mentiæ, vtroque modo victoriam juvans atque illu-
strans. Qui casu fortuitoque talia fieri existimat,
authominum culpæ ac ignaviæ vnicē tribuit, is nimi-
um hortis Gargettii senis innutritus, aut prudentiæ
male sanæ devotus est, nec quod divina docet sapientia,
pensi habet. Subduxerat nox vincentium ar-
mis tantam hostium multitudinem, quæ viribus æ-
quis, vel majoribus etiam, cuni nostris potuisset de-
certare, & victoriam reddere dubiam, si humanis res
æstimetur rationibus. Sed ita eos terror divinus &
sociorum exemplum exanimaverat, vt omni depo-
sito pugnandi animo per internuncios de ditione a-
gant & vitam paciscantur. Evaserant millia quæ-
dam, & se recollegant; sed fugā haud facti erant me-
liores hostes, & ad paucorum impetum, quorum fer-
rum virtutemque sentiendo agnoverant, diffugiunt,
& quæ erant residue machinæ, victoribus relinquunt.
Re vera hic factum est, quod Dominus ait exercitu-
um & summus bellorum moderator: *dabo in fugam hostes*
tuos, & pauci multos profligabunt, veterumque gestis sancto-
rum conciliatur fides, si dubiam haberent. Meritis-
simo igitur jure gloriosissimi Imperatoris Caroli V
verba, quæ, post devictum ad Mulbergam Electo-
rem Saxonem Johannem Fridericum, ex ore Jul.
Cæsaris paullum immutata, effatus est, Rex invictus,

qui eum nomine refert, faxit Numen, ut etiam felicitate gloriaque assequatur ac superet, sua facere potest ac dicere: veni, vidi, Deus vicit. Vicit Deus, virtute usus pugnantium, quorum dux fortissimus praecepto non minus, quam exemplo, ipse Rex fuit. Sapientes, & qui cauti volunt esse, longe remotos a praelio discrimine volunt esse Reges, & extra omnem teli jactum & pulverem, ne si adversa subeant casum, nimis magno constet civitati tam ingens ac irreparabile damnum. Sanctam olim gentem morti Regis optimi Josiae funestis parentasse cladibus: Lusitaniam cæde Sebastiani sui pene totam conflagrassæ, & tandem jacturam fecisse libertatis: Ludovici, Hungarorum Regis, interitum apud Mohazium portam Ottomannis ad Hungariam cæteram Germaniamque aperuisse, & Hungaris alienum imposuisse imperium; Galliam Regum suorum aliquot, & novissime Franciscum I., maximo redemisse e captivitate impendio. Verum suas illi habeant rationes, sua exempla, quæ tamen nec adeo multa sunt, singulari permissa provisone divina, nec eum, quem dicunt, semper exitum habuerunt. Regis e diverso praesentia rectius in fide exercitum continet, conspectaque fortitudo vires & animum militibus adspirat, vt honesto quasi concitati furore in hostem ruant, & obiectu corporum lacertisque tueantur caput tam charrum, a quo vniuersi salutem trahunt; vt in conspectu tanti testis, laudatoris ac estimatoris virtutem probent, & si non præmia vivi, laudem mortui reportent. Et Regis aliquando infantis aut imbecilli in cunis lectore præsentia, cum inclinata fuisset acies dubiaque victoria, tantum valuit, vt multo acrius, pro Rege præsente pugnantes, redintegrarint præcium, victoriæ-

riam-

riamque victoribus extorserint, quod Macedonum,
Britannorum & aliorum exemplis comprobant an-
nales. Hinc maximi quique & fortissimi Principum
proliis interfuerunt ipsi, nec facile Magni nomen
ac immortalem gloriam posteritati reliquerunt, nisi
qui consilio, ductu manique sua in acie res ges-
serunt bene & fortiter. Suedia Regum laus haec
quasi est propria, stare in acie, & ducum mili-
tumque egregie fungi officio. GVSTAVVS I, qui
signum ad libertatem, a Danis pressam & afflictam,
Sueonibus sustulit, ductu & manu sua vindicavit eam
strenue ac confirmavit. Filius ejus CAROLVS
IX pro puritate religionis juribusque regni con-
tra Polonus & Danos dimicavit acerrime. Geni-
torem Avumque superavit torrens ille victoria-
rum, seculorum ac fortissimorum princeps, GV-
STAVVS ADOLPHVS Magnus, qui a prima
fere adolescentia ad mortem usque in acie inter ho-
stium gladios & iectus versatus est, & plura regna, in-
star Herculis alicujus, victoriis manu sua partis e-
mensus est, quam alii viderunt unquam. Dania,
Russia, Sarmatia, & in primis Germania ejus nume-
rat triumphos, nec tamen numerum invenit, plures
numeratura, nisi inter pugnandum mediasque vi-
ctorias occubuisse, immortalitate dignissimus Prin-
ceps. Neque mors illa, quam luctuosam alii, He-
roes gloriosam censerent, deterruit successores, quo
minus hoc sequerentur exemplum. CARO-
LVS GVSTAVVS, verum belli fulmen,
Poloniā Daniaque tropaeis sua manu inter-
stinxit ac illustravit. Magnus ejus filius

F

CARO-

CAROLVS XI, cuius est glorioissima memoria,
suo consilio manuque fortissime in Scania repressit
vim hostilem, vietus nunquam, semper victor. Ab
hisce sanguis spiritusque generosus derivatus est in
CAROLVM XII, ejusque pariter inflamat animum, & cupiditatem accendit flagrantissimam pro
salute civium & regni securitate belli discrimina sub-
eundi. Non māre procellis ac tempestatibus infe-
stum, non frigora, pruinæ, glacies nivesque hunc ex-
tinguere valent ardorem. Dum alii latent sub tectis, is
versatur in castris inter hiemis diritates: dum quies-
cunt alii molliter, is molesta difficultaque itinera ter-
ra marique conficit, ac vigiles consumit noctes: dum
lautius vivunt alii, is vietu militari fortuitoque vti-
tur, vt disciplina duriori jam induratum aliquem Cy-
rū, aut Septimium Severum quis putaret: dum secu-
ris esse licet alius, is proelium subit & ancipitia dubia-
que vitæ. Mirum foret profecto, Regem nondum
matura confirmataque ætate tantas molestias, tamque
Herculeos labores posse perferre, nisi constaret, divi-
nas, excellas coeloque proximas animas coelum,
quod in perpetuo motu & jugi agitatione est, æmula-
ri, & quod vulgus laborem vocat, earum esse natu-
ram. Ad pugnam ubi ventum est, auctoritate ma-
ximum Regem, prudentia summum ducem, habitu
factisque fortissimum militem vidisses. Non enim
post signa ille stetit, & elonginquo spectator rem o-
mnem direxit ac disposuit, quod satis fuisset ad lau-
dem fortis cautique Regis & prudentis imperatoris; sed
speculatum egressus locum cepit invasioni idoneum,
singulisque ordinatis difficilimam pugnæ partem sibi
delegit, & inter prima signa, inter misfilium nim-
bos adversus confertissimos hostes, modo eques, mo-
do pe-

dopedes aciem duxit , & cum suis prætorianis dimicavit ad exemplum fortissime, quæque in rem essent, vna prudentissime consuluit ac providit. Consueverunt Principes magnis interesse rebus, quas ad exitum fere duces adduxerunt, vt illorum ductu videantur gestæ , & penes eos laus maneat expeditionis ac triumphi. Rex noster Augustissimus rem omnium maximam suis non modo auspicis , sed ductu etiam manuque gesgit. Is consiliorum sapientissimus auctor, totius negotii prudentissimus moderator, actuum maxime strenuus adjutor , & mirabilis eventus felicissimus executor fuit. Magna hæc sunt profectio, sed multo censenda majora , quod in illa ætate Rex ea perfecerit , qua tyrocinium alii nondum posuerunt. Rudimenta hæc sunt militia , & maximam tamen imperatoris monumenta. Non exspectat annos in doles excelsa, nec sensim & lente surgendo crescit , quod plebejarum est mentium ; sed eminet ante dem, fructumque, instar arboris generosæ , exhibet virtutis, cum florem alia nondum ostendunt. Jaet Macedonia fortissimum Regem juvenem Alexandrum ; extollat Roma adolescentem Imperatorem , strenuum felicissimumque Gordianum: Suedia non vnum habet Regem juvenem, qui fortissimorum possint augere censum. CAROLVS XII si nullum aliud egregium forteque facinus vñquam ederet, quam coelestissimum illud , quod jam miramur , immortale posteritati relinqueret nomen. Sed plura sed majora speramus, optamus, & dabit is nobis GVSTAVVM ADOLPHVM, quem habitu ac disciplina corporis animoque exprimit , & parum cum illo æate laureas ac triumphos inchoat. Nec vero hostium modo , sed sui ipsius etiam iræque

victor extitit, quæ præstantissima semper visa est sa-
pientibus victoria. Diremerat nox pugnam, & ex
tam ingenti cohortium numero aliquot evaserant,
a se tamen disjunctæ ac separataæ, quæ clade suorum
perterritæ & in angustias redactæ de deditione, missis
internunciis, agere veniamque Regis implorare
cooperunt. Poterant illæ, occupatis maximam par-
tem castris, machinis locisque opportunis, suos in-
tra recessus opprimi & deleri plane. Ast finem vin-
cendi Rex fecit, veniamque petentibus dedit ac di-
misit incolumes, arma contentus partem tradidisse
contumaciorem, & accepisse signa, victoriae tropæa.
Vtrum clementia magis & mansuetudo in vi-
ctos, an prudentia Regis extollenda sit, incertum,
cum utraque summa sit & incomparabilis. Cave-
ri volunt prudentes reique bellicæ periti, ne omni
præcisa spe effugii ad desperationem adigatur hostis,
cui nocendi adhuc sunt vires. Verit sœpe in auda-
ciam desperatio, & vt Poeta canit, *clausos accunt extrema*
pericli, & fractis rebus violentior ultima virtus. Multi victori-
am, quani habebant in manibus, hosti relinquere sunt
coacti, quod imposuerunt ei pugnandi necessitatem.
Ad summam igitur laudem & prudentiæ & humani-
tatis victor Augustus victoriam benignitate tempera-
vit. Ea enim præclara censetur victoria, in qua plus est
clementiæ, quam inhumanitatis. Et non minus cle-
mentia, quam arma claros fecit principes & ad cœ-
lum extulit; pluresque sœpe bonitas vicit, quam fer-
rum. Alexandri M. & Jul. Cæsar's nomen clarius
fecit animi illa magnitudo, qua hostibus veniam de-
derunt, viciis restituerunt regna, quam tot victori-
arum laureæ ac triumphi; cum virtutis illa & naturæ
bonum sit, in his multum sibi fortuna vindicet. Con-

tra

tra dedecus & notam sibi perpetuam in usit Sylla, Ro-
manus Dictator , quod non contentus vici se oppu-
gnantes senvire maluit in eos, qui clementiae se permi-
serant victoris. Alia mens est Clementissimo Regi,
qui vrbem venerat liberatum , vel sine sanguine de-
functurus , si licuisset per hostes, & victor ignoscit bel-
lia uictoribus , quibus jure poterat irasci. Nec ex
rei præsentis conditione tantum enata clementia,
sed ab Augustis Parentibus in Eum derivata , &
naturæ implantata est bonitas , quam in primis
in GVSTAVO M. orbis est admiratus , quæ-
que ipsi conciliavit exercitus , aditus reclusit , por-
tas aperuit , virbes & arces tradidit , nationes
subjecit. Et quid dico de Genitoribus , & , qui
proxime antecesserunt , Regibus ? Jam olim
spectata fuit Gothorum clementia , qua tot san-
ctissimorum virorum mentem facundiamque exer-
cuit, vt in celebranda ea omnes pene consumserint in-
genii vires , nec tamen verba satis repererint , adul-
ationis relikturi suspicionem , nisi hostes fuissent atque
devicti. Rex Gothorum ante commemoratus Ala-
ricus , cum infestum Romæ admovisset exercitum ,
& ultimam vim tentare vellet , singulari prius edi-
cto obstrinxit milites , vt , si qui in sancta loca , præ-
cipueque in sanctorum Apostolorum , Petri & Pau-
li , templis, & basilicas martyrum configurisset , hos
cum primis inviolatos securosque esse sinerent ,
& in vniuersum prædæ inhiantes , quantum pos-
sent , a sanguine temperarent. Sancte observa-
tum hoc fuit præceptum , quando non solum
ills , qui in templo configurerant , pepercérunt milites ,
verum obvios quoque miserati in ædes sacras deduxer-

G

runt

runt, ut salvi essent vel inviti; & quod fidem ferme superat, quando virginem cum sacro thesauro, quem servari Rex jussérat, & omnes, qui ei se adjunxere, strictis gladiis per longam vrbis viam ad Apostoli basilicam sunt comitati. Tantam hæc mansuetudo Gothicæ gentis admirationem excitavit in Hippo-nensi Antistite, doctrina & sanctitate clarissimo, ut eam velut atrium speciosissimum sanctæ Civitatis Dei, quam condidit eruditissime, conspiciendam exhibuerit posteritati, negaveritque simile ejus exemplum fuisse vñquam editum nec ab aliis, nec ab ipsis Romanis, qui laudem tamen clementiæ in primis captassent & per tot secula Janum rarissime habuissent clausum. Nec sui dissimiles in Gallia fuerunt Goths, vbi victis secure tranquilleq; inter eos licuit degere, ut multi ad eos migrare maluerint, quam libertate frui Romana. Durat hæc laus clementiæ in posteris, & eorum summo capite CAROLO XII, nec minus eam posteritas celebrabit & admirabitur, quam in majoribus antiquitas. Multum Romani scriptores suorum extollunt victorias & omnes facundiæ vires pertinent, si clarum aliquem ducem cepissent, aut signa quædam retulissent hostium, quæ ornare triumphum possent. Quæ orationis copia, quæ lumina verborum sufficient huic enarrandæ victoriæ divinæ & omnium nobilissimæ? Non unus conspicitur captivus, sed plura & ingentia ducum nomina; sed cum imperatore clarissimo tot legati, tribuni, centuriones, manipulares, pluribus stipendiis insignes, multasque laureas adversus Turcas & alios promeriti, eunt in triumpho, illud in felicitate reponentes, quod a fortissimis virorum victi, & clementissimum nacti sint victorem. Ipse Moscorum Princeps pridie castris

stris ante lucem excesserat, forte jam animo sentiens, fatalem sibi instare diem. Singularis eum fortuna subduxit, ne agmen duceret captorum, & triumphi pompam augeret, qua nil visum est magis gloriosum. Concipite, quælo, animis vestris, AV-DITORES, aliquam ejus formam ac speciem, & pulcherrimum videbitis spectaculum virtutis & clementiae. Contemplamini ordine longo accedentes præclaros duces, tribunos, centuriones & alios militiaꝝ præfectos, suum agnoscentes ac reverentes victorem, humilimeque & more supplicum petentes veniam & impetrantes facile. Spectate milites multitudine adhuc græves, & longas transeundo necentes horas, victorem venerantes submisso, & in patriam revertentes sine tympani sono, sine signis, sine armis, quæ gestata ram diu ad pedes invicti Regis posuerant, vitam & libertatem servasse lætos. Cernite vim signorum maximam, quantam qui conspexerit in stuporem rapitur, potuisse agmen tam ingens, quod sub iis militavit, etiamsi plura non fuissent, a copiis tam exiguis superari. Erunt illa monumentum perpetuum divinitus concessæ victoriae, fortitudinis invictæ, lenitatis admirandæ, perfidiae punitæ. De spoliis optimis, quibus cum castris vñiversis potiti sunt victoris, cum mens cogitat, ita obruitur eorum multitudine, varietate & magnitudine, vt extra se abrepta vix verba expediatur. Occurrunt tot belli machinæ, variis generis arma, bellica instrumenta, tabernacula, vtensilia castræ, annona, pabulum, vestes, ærarium castræ, & infinita alia, vt vel per summam nominare sit difficile, nedum rationes ac numerum inire. Feliciter partes agi nostras putabamus, si fortissimo nostrorum ausu & impetu ho-

stes perterriti vel cladem aliquam passi , fugati capesserent , aut se se retraherent , obsidionem tollerent , & ressibi suas , quas possent , servarent . Sed urbem non modo esse liberatam , verum tot quoque millia hostium cæsa , tot fluctibus oppressa , tot salutis causa projecisse arma , tot signa capta & tradita , tot duces captos , tota castra cum belli apparatu immenso & spoliis infinitis , quæ fere provinciam armare ac locupletare queant , in nostrorum venisse manus , id pene optatis , spe certe maius est , & divinæ bonitatis exuberans & admirabile beneficium . Numen opinor Moscum Principem opulentum suisque viribus elatum , cum cladem ille deberet , cum tanto apparatu bellico tantaque opum vi in Ingriam allexisse , ut rarma & ad bellum necessaria suppeditaret , cum ad seipsum de bellandum , tum ad alia , quæcunque vel mota sunt , vel secretis consiliis bella foventur , repellenda . Est enim illud memorabile , & justissimo Dei judicio accidisse putandum , quod implicato consilio traxerit hostis obsidionem , & machine adduei statim haud potuerint , longa via pauludibusque impeditæ ; postea tamen convectæ sint multo labore ac sumptibus , fine non alio & vsu , quam ut victori cederent in spolium . Gravis in Ingriam Esthoniæque incubuit tempestas , quando vis barbæa hominibus , vastitas desolatioque terris illata , sacra & humana violata sunt : sed æquo illa ferenda sunt animo incommoda , cum tanta bona destinaverit Deus , quæque damna averterent majora . Hac enim Victoria effectum est , ut formidabilis illa vis Russica fractasit & imminuta , aliaque consilia & conatus , quæ forte in perniciem cogitata fuerunt Sueconum imperii , & ab eventu contrario suspensa , sufflaminata sint ac ceciderint in cassum .

Co-

Cognita enim Sueontum virtute , & quod Deum in
confiliis auspiciisque habeant , multumque creverit
hostium spoliis potentia & vis ad resistendum , tardius
exequi audebunt destinata , si non prorsus omittant .
Tanta vero bona comparata sunt exigua manu , & si-
ne magna nostrorum clade . Ea victoria semper e-
gregia est habita , quæ & magna virtute a paucis con-
tra plures , & sine notabili cæde reportata fuit . Locren-
sium celebratur ab antiquis victoria , quod quindecim
eorum millia adversus Crotoniatarum millia centum
& viginti pugnare inire non dubitarint , & tam par-
va manus mira felicitate tantam superarit multitudi-
nem & ita attriverit , ut ex ea strage pauci fuga elapsi
fuerint superstites , eaque ad Sagram , Metaponti flu-
vium , commissa pugna celebrem nominis memoriam
ad posteros propagari , vt si qua vera significare vel-
lent , proverbii loco certiora dicerent , quam illa , quæ
apud Sagram . Nostram cum ea si contendamus ,
magna est vtriusque similitudo ac convenientia , ita
tamen , vt novissima multis illam modis antecedat .
Numerus pugnantium vtrinque fuerit æqualis , si
pars dematur dimidia , quanquam Russorum adhuc
deprehendatur major ; modus tamen pugnandi & a-
lia multa hic fuerunt longe difficiliora . Ibi in cam-
po aperto erat pugna , & fundis , sagittis ac gla-
diis res agebatur : hic munita sunt castra , sunt
machinæ fulmineæ ejusque generis arma , qui-
bus accedentes longius possunt arceri , & ma-
gna fieri strages , antequam res ad manus veni-
at ; & tamen a tam exiguis copiis tantus est at-
tritus exercitus , vt non adeo multi fuga , ple-
rique clementia victoris evaserint . Fluvius
interim Narva celebrem pugnae memoriam

H

ad

ad posteros haud minus transmittet, & si proverbio
locum faciet, forsitan illi, qui ex spe sua deturbantur
multo cum damno, fata dicentur subire Russorum ad
Narvam. In tanta vero & tam ampla hostium stra-
ge, qua longe plures sunt cæsi, quam in nostro milita-
runt exercitu, non magna nostrorum clades est. Et
virtus insignis, & singularis Dei vis oportet fuerit,
qua & tantæ sufficerit cædi, & hostium iætus innu-
merabiles ac misilia infinita averterit, nostros ne
tangerent, ferirent, necarent, Omnia vero ma-
ximum est, quod Regem tot mortibus expositum e
discrimine præsentissimo habeamus salvum. Gens
Deo quondam sacrata decem virorum millibus jactu-
ram æstimabat Regis sui Davidis. Majoris æstima-
dam censeo, cum in Regis salute omnium salus verse-
tur ac felicitas, & vnius sæpe Regis pietas, prudentia
& fortitudo servet patriam, quod decem millia præ-
stare nequeunt. Quid profuisset vincere, si Rex
non esset salvus? Nam a CAROLO XII quid exspe-
ctare habeamus in posterum, novissimum docet ex-
emplum, quando pietate sua urbem liberavit, hostes
fudit & castris exutus ejecit provincia. Jam spe animo-
que Moscus præsumserat Narvam, & quos inde spe-
raret fructus, secum inibat rationes; jam cogitabat
augmentum imperii potentiaque. Sed nimis de spe
tuadejectus es, PETRE, Moscorum Princeps po-
tentissime, nimis te fefellit tuæ fiduciae opinio. Tua
te fortuna & felix rerum successus adversus Turcas
Tartarosque extulit, vt aliena invaderes: tua te po-
tentia excitavit, vt fiduciam victoriae certissimam in
numero copiarum, peritis ducibus machinisque plu-
rimis collocares. Verum enimvero reputare de-
buisses, nimiam augendi cupiditatem imperii permul-
tos

tos affixisse ac dedisse præcipites ; nec facilius fuisse
victos , quam cum præsumserunt victoriam , & in
multitudine ac munitis spem fiduciamque re-
posuerunt . Virium fiducia animoque præcepta vi-
ctoria fortissimum felicissimumque imperatorem
Cn. Pompejum M. evertit : M. Antonium , specta-
tæ fortitudinis ducem , pessundedit : Leopoldum Au-
strium ad Sempacum in Helvetia perdidit , infinitos al-
lios attrivit . Atque eam fortunam experti sunt , eti-
am ubi justissimum visi sunt gerere bellum . Tu ve-
ro omni insuper habita foederis religione , quam jure-
jurando confirmasti sancte , sine causa idonea , sine
denunciatione , contra fas omnē & jus gentium , bel-
lum intulisti multo gravissimum . Annon recogita-
sti apud animum , Deum favere pietati fideique , per
quas ad fastigium regna venerunt , & ex parvis facta
sunt maxima , & contra infestum esse foedera violan-
tibus , horumque imperia minuisse ? Sed acutim a-
gis ab Hetruria doctoris dum securus es præceptum
fallax & perniciosum , rationibus id expedire tuis , qui-
bus omnis fides , etiam jurata , cedere debeat , perni-
ciem tibi attraxisti perpetuamque notam . Non e-
nim Varna solum in Bulgaria posthac exemplum erit
notabile puniæ per Turcas perfidiae in Vladislao ,
Hungarorum Rege ; sed etiam Narva , quæ exigua
literarum transpositione ipsa est Varna , Russorum
per Suedos vindicata memoriam æternum servabit .
Ne vero dubites , violati foederis hanc esse vindictam ,
diemi cogita XII Cal. Decembris , quo accepisti clad-
em , & eundem invenies , quo abhinc anno dexter-
atura sirmayit foedus ac societatem . Et repete , quæ-
so , memoriam præteriorum temporum , inde inci-
piendo , ex quo ex tuis majoribus Johannes Basili-
des ,

des , bellis contra Tartaros satis felix, Livoniam invasit, ejusque temeritas omnia divina & humana iuria violavit, quos tui anteceſſores habuerint successus, quem fructum bellorum ? Quæ primo impetu visa sunt feliciter succedere, cum non effent ob improvsum bellum , qui refiſterent magnopere, ea magnis cladibus postea in auctoribus ſunt vindicata. Quem belli fructum, vt de cæteris non dicam, habuit tuus genitor Alexius , cum Livoniam infestaret , dum alibi Suecorum diſtinguerent arma. Non certe aliū , quam vt crudelitatis vbiq[ue] relinqueret vestigia, exercitum in obſidione Rigæ consumeret ingenitem, reque diſcederet infecta. Hæc te docere poterant, eſſe Livoniam imperii Moscorum terminum, quem si transire conentur, clades reportent ac calamitatem. Recogita Persarum Reges potentissimos, Darium Hyſtaspiſ & Xerxem , qui Hellespontum, imperii ſui limitem, transgredi maximas acceperunt clades. Recordare Romanos, qui vltra Euphratēm Tigrimque fines imperii quoties dilatare voluerunt, aquilas viātrices perdiſerunt , & quicquid tandem Trajanus, Imperator optimus , multa legionum jaſta longaque expeditione, cui tandem inimortuus, acquisiverunt , non multo poſt hostibus relinquerere ſunt coacti. Vel ſi antiqua non ſuccurrunt exempla , Ottomannos cogita , quibus Vienna Austriae bis fatalem attulit cladem , eoque docuit & commonefecit , vt intra ſuos ſe continerent terminos, quos proviſio posuit divina. His tuum nunc exemplum addis, novumque præbes annalibus argumen-
tum. Cum ſanctiora adverſus infideles Muhammedanos in vltimis imperii tui finibus ad Tanain bella gereres, Deus fortunabat arma tua, & felices faciebas

bas progressus; sed cum viētrices copias duxisti adver-
sus Christianos, tuosque fidissimos vicinos ac foede-
ratos, & vltra terminos tuo positos imperio, even-
tum es nactus, cuius Te, si verum fateri velis,
poenit ac pudet. Tui igitur existima imperii sa-
lutem, quietem, securitatem & munimentum,
si cum Suedis amicitiam foederaque sanctissime
colas & serves. Nos vero gaudemus & exulta-
mus, quod fatalis ille venerit dies, quo sui
fastus immanitate mixti, qui modum pene o-
mnem exceperat, poenam luerit hostis ac didi-
cerit, quam non sit impune hunc de septentrione
laceſſere leonem. Narva in primis tamdiu ob-
fessa & ruinis foedata hunc exoptavit diem, &
quando vidit se ex flamma & ferro mediisque
hostis faucibus ereptam servatamque, se, op-
inor, ipsa vix capere potuit, in omnes effusa
lætias, & admiratione ac stupore defixa. Vi-
deor cernere, cum Rex, glorioſiſimus vīctor,
die post memorabilem pugnam intravit urbem,
quam omnis atatis, sexus ordinumque homines
concurrerint viasque occuparint omnes, vt vi-
derent hunc suum Liberatorem; quam faustis
acclamationibus exceperint Servatorem suum, læ-
tisque ominibus omnia replerint; quam ipsa rudera,
vi hostili disiecta, ad Regis & vloris sui ad-
ventum quasi coire & in pristinum redire sta-
tum & formam gestierint, si licuisset per natu-
ram; quam omnes admirati sint modo cor-
poris in Rege adolescente dignitatem augustam
& majestatem circumfusam, modo incredibilem

I

atque

atque divinam virtutem , modo insignem trium-
phum , & vix suis crediderint oculis , celeri prosperrimaque rerum conversione prorsus obstupefacti . Quid enim admirandum sit prius , quid deinceps , quid postremum , utrumquod Rex manutam exigua hostem sit adortus ? an quod tam feliciter superaverit ? an quod tanta sit hostium edita strages , tot captivi , tanta spoliorum abundantia , varietas ac pretiuni ? an quod Rex tot & tantis se commiserit periculis & evaserit salvus ? an quod plane excellens & singularissima fuerit nostrorum virtus , tamque pauci ceciderint ? dubium est & incertum . Omnia tam sunt admiratione plena , ut aliud non sint , nisi divinæ potentiaz , bonitatis ac inusitatæ alacritatis animique magnitudinis inauditæ documenta , & insignia futuris seculis vix credenda miracula . O vere divinam , o admirabilem victoriam , qua nil præstantius , nil excellentius , nil illustrius a multis retro annis , ne dicam seculis , vidit orbis ! Victoriam , quam Reges exteri ac Principes extollunt , letisque gratulatio nibus celebrant ! Victoriam , in qua ornanda celebrandaque posteritatis ingenia desudabunt , nec assequuntur tamen ! Gratulor TIBI , Rex Augustissime , victoriam hanc glorioissimam atque magnificam , quam Tua Tibi pietas ac virtus peperit . Macte hoc animo : Pietate ac Fortitudine eris Felix , eris Magnus . Fruere isto tam excellenti Tuo bono , quo cives recreasti mirifice , hostibus incusisti terrorem : fruere ad immortalem Nominis Tui gloriam , quam es jam consecutus longe amplissimam & etate majorem . Syri quondam Reges suos Callinicos , Soteras , Epiphanes appellabant , ex adulacione magis , quam quod tanta illi nomina fuissent meriti . Tibi , CAROLE invictissi-

invictissime, optimo iure ista debentur. Tu *Egregius*
Victor, Tu benignus *Servator* amicorum pariter & ho-
stium, Tu virtute acre bene gesta *Illustris* es. Adde vi-
ctorias, auge laureas, amplifica triumphos, ut magis
adhuc crescat nominis Tui fama, & auctoritas, quæ
in Patre, Avo & Proavis eminuit, renovetur & fiat
illustrior ad securitatem regni & provinciarum. Gra-
tulor copiis invictis, & præcipue ducibus earum fortis-
simis, qui sapienti consilio, fide singulari & inusitata
virtute adfuerunt Regi, hostesque devicerunt. Ve-
stre laus fortitudinis summa est, omniumque vehitur
ore & orbis terræ judicio ac testimonio comprobatur,
durabitque, quamdiu memoria extabit in annalibus
victoriæ ad Narvam, hoc est, æternum. Gratulor
Narvae clarissimæ, quæ fide sua & virtute hostium re-
frenavit arma, & majorem a Livonia perniciem aver-
tit, angustisque nunc liberata in triumpho videt ac
cæsos, a quibus suum parabatur exitium. Non tam
Cannæ in Apulia clade Romanorum ab Hannibale
edita sunt nobilitatæ; non tam Arbela vicum clade
Darii Codomanni nobilem fecit Alexander, quam
Narva erit in posterum, cum ob fidem in Régem ac
virtutem suam, tum ob cladem Russorum ingentem.
Erit nunceo charior Regi, quo majori eam periculo
atque labore ad æternam Sui gloriæ afferuit ac vindici-
cavit. Gratulor vniuerso Sueonum populo con-
junctisque provinciis, quærum est multum confirma-
ta securitas sub Rege tanto, cuius per orbem nunc fa-
ma diffusa, & hostibus admirationi esse cœpit no-
minis potentia & virtutis excelsitas. Tibi vero,
summe ac præpotens Deus, qui stator ac vindex es
imperiorum, Tibi gratias agimus & habemus,
quas animo concipere possumus, infinitas devotissi-
mas que,

masque, quod arma Regis nostri Clementissimi pro-
sperare victoriamque magnificentissimam largiri;
quod Regem inter belli adversa discriminaque præ-
sentissima servare salvum & inviolatum; quod exer-
citum animare ac præstare invictum volueris beni-
gnissime. Tibi sit laus, Tibi honor, Tibi gloria sem-
piterna. Adsis in posterum, justissime Deus, favo-
re tuo justæ Regis causæ, & contra hostes eam tuere, &
assere, vt nominis Tui potentiam justitiamque agno-
scant & Regem, Dominum nostrum, revereantur. Ser-
va clementer Regem sacratissimum, quem nobis de-
disti Patrem Patriæ, CAROLVM XII, serva Eum,
defende ac protege, ne vis Eum vlla lœdat, bellique ca-
sibus nihil in Eum liceat; salutaria suggerere consilia,
secunda conatus, felices da exitus, vt firmam & con-
stantem suis regionibus reddat pacem, quietem ac
tranquillitatem, & si pervicaces esse hostes pergant,
victoriis atque triumphis eorum audaciam frangat &
furorem compescat. Firma Regis cohortes ac copi-
as, robora duces, quos tanquam Nestores atque A-
chilles consilii, curarum & expeditionum socios ha-
bet, vt victoriarum palmas perplures reportent, & vel
nominis ac virtutis suæ terrore hostes percellant ac
profligent. Serva etiam, quos hisce terris nostris
Rex dedit Praefatos, eorumque in primis Præsidem ac
Principem, serva eos & prospera consilia actionesque,
vt omnia in Regis gloriam, patriæ securitatem
ac florem, propriamque famam im-
mortalem cedant feliciter.

DIXI.

Errata quadam a fessinibus operis relicta sic emend. in plag. B. fac. 1. lin. 4. leg.
laetitiam: f. 4. lin. u. scientia: in pl. F. fac. 3. l. 19. leg. diem, in plag. G. l. 31. leg.
illis. fac. 4. l. 21. leg. paludibus.

Pon Ye 3656
20

ULB Halle
001 500 848

56.
D

anew
VON 17
VON 18 772



12

PANE^GYRICVS
AVGVSTISSIMO INVICTISSIMO QVE
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
CAROLO XII,

SVECORVM, GOTHORVM ET VANDA-
LORVM REGI, MAGNO PRINCIPI FINNONIÆ.
DVCI SCANIAE, ESTHONIAE, LIVONIAE, CAR-
DAE, STETINI, POMERANORVM, CASSUBIAE ET
CIPRI RVGIAE, DOMINO INGRÆ ET WISMARI-
TI PALATINO AD RHENVM, BAVARIAE,
AC MONTIVM DVCI, ETC
CVM

D. XX NOVEMBRIS, ANNO
SPIS AVSPICIIIS ET DV

VICTORIA M DI
VEREQVE MIRAM
A MOSCIS AD NARVA
REPORTASSET,

INTER SOLENNIA EVCH
ET PVBLICA VOTA

D. XVI FEBR. ANNO MD

IN

GYMNASTIO STADE
DICTVS

A

MAJESTATI AC VIRTUTI EJVS DEVOT
M. TOBIA ECKHARD

STADE, imprimebat CASPAR HOLW



B.I.G.

Top 577
1/2 Philolog
in strad. Klon. celebrando. Pithone suo
Observantes colorem cum estuante prof. 26